



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum de non discedendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

nico Oratio de Spiritu sancto dicatur; deinde intra Ecclesie ambitum ad sacram supplicationem pie, recteque, atque ordine procedatur, litanis & reliquis precibus adhibitis, que ad sanctam eam precandi rationem, ab Ecclesia Dei instituta sunt. Omnes autem in Ecclesia, que domus Dei est, & domus orationis, eo presertim tempore cum sacra sunt, & diuina officia peraguntur, mutua congregatione, mutuis item colloquutionibus abstinentes, omnia attentissimis animis spectent, atque audiant; tum oratione & oris & mentis celebrantes adiuuent.

Decretum de Officialibus

NOS Carolus Sancte Romanę Ecclesie Presbyter Cardinalis Tituli Sancte Praxedis, Dei, & Apostolicę sedis gratia Archiepiscopus S. Ecclesie Mediolanen. Quoniam ad huius Prouincialis Synodi sextę actiones & tractationes ministri nonnulli requiruntur; id propterea delegimus, ac decreuimus huius sexti Concilij Promotores, Reuerendos Dominos, Antoniũ Senecę Decanum Metropolitanę nostrę Ecclesie, & Ioannem Stephanum Beluifium Canonicum Primicerium Ecclesie Verellen. I. V. Doctores: Reuerendum item Dominum Archidiaconum eiusdem nostrę Metropolitanę Ecclesie, qui illos referat, qui a nobis in Concilio audiri volunt, vt iussu nostro introducantur.

Nę verò singulorum causę, rerum grauiorum que a nobis in hoc prouinciali Concilio agerive debent, cursum impedire aut retardare possint; ideo Reuerendissimos Dominos Episcopos Dertonsensem & Brixinsensem, & Reuerendum Dominum Audoenum Ludouicum Vicarium Generalem, huic muneri prefecimus, vt absentium excusationes que ad nos missę sunt; tum eorum item causas cognoscant, qui Synodo non dimissa neque absoluta, se abeundi causam iustam aliquam habere existimauerint; easque omnes & singulas ad nos ordine deferant.

Decret. de praiudicio non afferendo.

DEcernimus, si cui contigerit in hac Prouincialem Synodum non iure admissum esse, vel suo loco non sedere, sententiamve dicere, aut aliquid quidquam agere; nemini propterea illo facto ius acquiri, aut acquisitum esse; nec verò de cuiusquam iure possessione quidquam detrahi; sed omnia in eodẽ statu rata firmaque manere, in quo sanę ante erant, quàm hoc Prouinciale Concilium haberetur.

Decretum de non discedendo.

VT Episcopi, qui huic Prouinciali Concilio interesse debent, antequam illud absolutum sit, & de more rite dimissum, ex vrbe Mediolanone discedant, nisi iustam & probabilem causam habeant, quam ab illis huic cognitioni prefectis cognosci diligenter primum & examinari, tum a nobis comprobari volumus. Nec verò tamen ea causa cognita & comprobata, impetrataque etiam a nobis facultate abeundi, eorum cuiquam hinc prius migrare liceat, quàm idoneum procuratorem reliquerit, qui huius Synodi Prouincialis sextę decreta & constitutiones, suo, & Ecclesie item sue nomine suscipiat, eisdemque; vt moris est subscribat. Quod si secus eorum quispiam fecerit, pena ei sit, que canonum iure contra eos constituta est, qui hoc ipsum commiserint.

Tũ promulgatis his decretis, R. Promotores denuo institerunt apud Illustrissimum Metropolitanum in hæc verba.

Instantia Promot.

Illustrissime & Reuerendiss. in Christo pater, & D. Metropolitane, In actione Synodali Prouinciali, vt sint quę querelas audiant, & controuersias componant, operę præmium est, Patres Reuerendissimos constitui, qui id muneri obeant; petimus igitur eos decerni, tum præterea certos dies constitui congregationibus publicis, in quibus omnes audiantur.

Accedens ergo Cancellarius, præcedente